

Kapitel 1 der „Passio Perpetuae et Felicitatis“ im Einrückverfahren

[1] *Si* vetera fidei exempla, et Dei gratiam testificantia et aedificationem hominis operantia, propterea in litteris **sunt digesta**,

ut lectione eorum quasi repraesentatione rerum et Deus **honoretur** et homo **confortetur**,

cur non et nova documenta aeque utrique causae convenientia et **digerantur**?

Vel **quia** proinde et haec vetera futura quandoque **sunt** et necessaria posteris, **si** in praesenti suo tempore minori **deputantur** auctoritati propter praesumptam venerationem antiquitatis?

Sed **viderint**,

qui unam virtutem Spiritus unius Sancti pro aetatibus **iudicent** temporum, **cum** maiora **reputanda sunt** novitiora quaeque ut novissimiora secundum exsuperationem gratiae in ultima saeculi spatia decretam.

In novissimis enim diebus, dicit dominus, effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii filiaeque eorum;

et super servos et ancillas meas de meo Spiritu effundam;

et iuvenes visiones videbunt, et senes somnia somniabunt. (Joel 3,1)

Itaque et nos,

qui sicut prophetias ita et visiones novas pariter repromissas et **agnoscimus** et **honoramus** ceterasque virtutes Spiritus Sancti ad instrumentum Ecclesiae **deputamus** (**cui** et **missus est** idem omnia donativa administraturus in omnibus, **prout** unicuique **distribuit** dominus)

necessario et **digerimus** et ad gloriam Dei lectione celebramus,

ut ne qua aut inbecillitas aut desperatio fidei apud veteres tantum **aestimetur** gratiam divinitatis conversatam, sive in martyrum sive in revelationum dignatione,

cum semper Deus **operetur**,

quae repromisit,

non credentibus in testimonium, credentibus in beneficium.

Et nos itaque,

quod audivimus et contrectavimus,

annuntiamus et vobis, fratres et filioli,

uti et vos,

qui interfuistis,

rememoremini gloriae domini et,

qui nunc cognoscitis per auditum,

communione habeatis cum sanctis martyribus et per illos cum domino nostro Iesu Christo,

cui est claritas et honor in saecula saeculorum. Amen. (vgl. 1 Kor. 7,17)